

meritum Christi pretiosissimum. Licet enim non adhuc Christus, ut Mediator, luat mortis cruciatus grauissimos, nec multo minus ob patris iram sentiat dolores in anima intensissimos, licet hac ratione meritum Christi non amplius praesens sit, id est non existat physice; praesens tamen est, ratione infiniti sui valoris et efficaciae, quam habet moraliter, cum hodie adhuc per illud, Deus ad clementiam et misericordiam commoueatur. Idem igitur est, cum valorem habeat infinitum, num existat adhuc physice siue minus. Possumus ergo ex illius imputatione, omnino capere laetitiam summam atque maximam. Conferatur beati *Musaei* tractat. de conuers. disput. III. cap. 3. §. 177. p. 166. Nec abhorret fidei definitio suppeditata a loquendi theologorum usu, id quod ex sequentibus conspicietur quam lucidissime.

## §. XVII.

Tria ad fidei existentiam requiruntur momenta: 1) *notitia* 2) *assensus* & 3) *fiducia*.

*ad num. 1)* Est fides fiducia, in merito Christi locata (§. XVI.). Quum igitur fiducia sit gaudium ob bonum praesens, ut multorum aliorum causam, ortum (§. XVI.), non aliter fidem habere possumus, nisi etiam de bono quodam habeamus repraesentationem. Ex cognitione enim boni demum oritur voluptas et gaudium (per princ. psych.). Ergo *notitia ad fidem etiam est necessaria*.

*ad num. 2)* Fides efflagitat assensum. Iste enim est iudicium de veritate alicuius rei; & fides requirit Christi meriti-que ipsius notitiam. Ergo si aliquod ferre debemus in fide iudicium, illud de Christo illiusque merito fieri debet. Quod autem eiusmodi iudicium ferendum sit exinde efficitur, quia talis est conditio animae nostrae, ut vel verum, vel falsum aliquid pronuntiet, vel in abiguitate maneat. Falsum non potest meritum Christi dici; quia alias exinde bona sperare non possemus, adeoque nec gaudium percipere; quod tamen inde capitur (§. XVI.). Nec in ambiguitate persistere possumus.